

P V I S

1 6 1 8



- I. Philastrii Catalogus Hæresium.
- II. D. Honorii de Hæresibus.
- III. D. Bugensæii distributio Methodica Historiæ passionis Christi.
- IV. D. Garzæi Tractatus Concionum Penitentiarum.
- V. D. Garzæi Delinatio Concionum Penitentiarum.
- VI. Basilii Magni Oratio ad Adolescentes.
- VII. Intimatio Jubilæi Evangelici.
- VIII. Theologorum Saxoniarum Epistola Invitatoria ad universos Theologos.
- IX. D. Bergii Præfatio Francofurtensis Disputationis Theologicæ.
- X. M. Sachsii Disquisitio adversus Meijnerum.
- XI. Montani Virga in Bermanum et Ungermannum.
- XII. D. Pelargi Responsum ad Epistolam Schlusenburgii et Cramerii.
- XIII. D. Pelargi Responsoria ad Apostolica duo brevvia Schlusenburgii et Cramerii.
- XIV. Godefridi Disputatio de Abstracto et Concreto.
- XV. Pelargi Disputatio de Assumptione Christi.
- XVI. M. Wolgangi Theses de Justitia et Justificatione.
- XVII. D. Füsseli Disputatio de Deo.
- XVIII. M. Theopoldi Disputatio ex Dialocho Theodoret. Secundo.
- XIX. de Deo.
- XX. de Peccato.
- XXI. de Libertate in Conversione Homini Concurrente.
- XXII. de Justificatione.
- XXIII. de Bonis Operibus.
- XXIV. de Ecclesia.

Maa B.

XIV
APHORISMI
EX

Secundo Examinis Theologici Melanchthoniani Loco, qui est DE LEGE, desumpti, illustrati,
ET

AD PLACIDAM ΣΤΖΗΤΗΣΙΝ IN ILLU-
STRI SORABORUM GYMNASIO
propositi,

PRÆSIDE

M. JOHANNÉ THEOPOLDO,
Ecclesiæ ad Nicolai, ut vocant, Pa-
store, & SS. Theologiæ Professore:

RESPONDENTE

CLEMENTE VVOCHIO COSVVI-
censi Anhaltino.

Die VI. Septembris : Hora VIII. matutina.

SERVESTÆ

Typis Zachariæ Dörfferi.

Anno M DC XI.

20

APPROBATA
Secundo Examinis Theologici Me-
sarchionensi loco, die 15.
1711

AD PLACI-
DAM
STRISSONABURGI
PROFESSORIS
P. A. S. S. B. S.
M. JOHANNIS THEOPHILDO,
Baccalarii in Theologia,
loci, & Theologiae Professoris,
CONDITAE
GLEMENTE VVOCATIO COSVAT
conditae

Typis Zachariae Dörfleri
Anno MDCXLI





APHORISMI EX LOCO DE LEGE.

I.

Locum de DEO, optimâ metho-
do, in libello nostri Autoris, ex-
cipit Locus de LEGE. Cùm enim in
præcedenti Loco de Essentia DEI &
Distinctione Personarum Divinitatis dictum sit:
ordo requirit, ut de Voluntate etiam DEI, in
verbo ejus patefactâ, aliquid dicatur.

II.

Vocem Legis alij deducunt à ligando & ob-
ligando, quòd Lex obliget vel ad obedientiam,
vel ad pœnam: Alij verò à legendo, propterea
quòd Legum, ut omnibus innotescant, publica
fiat prælectio: Alij deniq; ab eligendo, sive deli-
gendo, quòd per Legem demonstratur delectus
agendorum & fugiendorum.

III.

Græcis Lex dicitur $\omega\delta\eta\tau\acute{o}\nu\epsilon\mu\acute{\nu}\nu$, quòd suum
cuiq; tribuat, præmia nimirum & honorem
probis: Pœnas verò & ignominiam improbis.

IV.

Hinc Ciceroni. de Legibus inquit: Legis ca-
vis est, ut rectè facere jubeat, vetet delinquere,
eamq; rem illi (Græci) Græco putant nomine,
suum cuiq; tribuendo appellatam: Ego nostro

A 2

(Latino)

(Latino) à Legendo. Nam, ut illi æquitatis, sic nos delectus vim in Lege ponimus: & proprium tamen utrumq; Legis est.

V.

Hebræis Lex est Thorah, quæ vox generaliter doctrinam seu institutionem denotat. Κατ' ἕξοχὴν verò hūc accommodatur, quòd videlicet in Lege divinâ, præsertim Morali, sive Decalogo, lateat summa DE I sapientia & doctrina.

VI.

Lex autem, in Genere, est sententia, quâ vel præcipitur aliquid, additâ [promissione præmii, si obedientia præstetur, aut comminatione pœnæ, si violetur.

VII.

Lex vel est divina vel humana, quarum illa DEUM: Hæc verò Homines autores habet.

VIII.

Leges divinas autor noster, usitato more, dividit in Morales, Ceremoniales & Forenses.

IX.

Morales Græcè dicuntur ἠθικαί, item διαθηκῆς. Hebræi appellant Mizvah, quam vocem, LXX. interpretes verterunt ἐντολαίς.

X.

Ceremoniales Græcè appellantur ἱερατικαί, item λατρεία. Hebræi vocant eas Chyckim: Septuaginta reddiderunt δικαιώματα.

XI.

Forenses Græcè nuncupantur πολιτικαί, & νομοθεσία. Hebræi nominant Mischpatim. Septuaginta interpretibus sunt κριματά.

Potest

XII.

Potest autem lex Divina etiam ita dividi, ut quædam dicatur esse peculiaris seu propria, utpote data solummodò hominibus ante lapsum, de non comedendo fructu arboris scientiæ boni & mali: quædam verò communis: & hæc rursus vel communis omnibus in universum hominibus, ante & post lapsum, ut Decalogus, seu Lex illa naturæ perpetua: vel communis saltem Judaico populo, ad certum tempus, ut Lex Ceremonialis & Forensis.

XIII.

Lex Moralis est æterna & immota sapientia, & regula justitiæ in DEO, discernens recta & non recta, horribiliter irascens contumacibus, seu denuncians horrendam iram adversus contumaciam repugnantem huic ordini in DEO, & patefacta est hominibus in Creatione, & postea sæpè repetita, & declarata voce divinâ, ut sciamus, quòd sit Deus, & qualis sit, obligans omnes creaturas rationales, & postulans, ut omnes sint conformes Deo, nisi fiat remissio & reconciliatio propter Filium Mediatorem.

*Edamnas
ac dignu
ens est
no cofor
mbr deo,*

XIV.

Hujus summa comprehensa est in Decalogo: idcirco nomine Decalogi sæpè utimur pro Lege Morali.

XV.

Decalogus dicitur à δέκα & λόγος, ut per decem verba totidem præcepta designentur.

*Ex. 34. 7.
28.*

Deut. 4.

v. 13.

XVI.

Dividitur autem Decalogus (Exordio, toti

A 3

Deca:



Decalogo communi, promisso,) in duas tabu-
Ex. 24. v. 12. las, quarum prior est de cultibus DEO imme-
Ex. 31. v. 81. diatè præstandis: Posterior verò de Cultibus, me-
Deut. 10. v. 4. diatè DEO, per Dilectionem proximi, exhi-
 bendis. Deut. 6. v. 5. Levit. 19. v. 18. Matth. 22. v.
 36. 37. Luc. 10. v. 27.

XVII.

Prior tabula quatuor: Posterior autem sex
 (ut postea demonstrabitur) continet præcepta:
 quæ unà cum Proœmio, sic habent.

Exodi 20. v. 1. &c.

v. 1. Tum elocutus est
 DEUS omnia hæc ver-
 ba, dicendo:

2. Ego sum Jehova
 DEUS tuus qui eduxi
 te de terrâ Aegypti, è
 domo servorum:

3. Ne esto tibi ullus
 Deorum alienorū an-
 te faciem meam.

4. Ne facito tibi scul-
 ptile, aut ullam ima-
 ginem eorum, quæ
 sunt in cœlis suprâ, aut
 quæ in terrâ infra, aut
 quæ in aquis infra ter-
 ram.

5. Ne incurvans te ho-
 norem exhibeto eis,

Deut. 5. v. 10. &c.

v. 10. & 11. In os locu-
 tus est Jehova vobiscū,
 in monte illo è medio
 ignis, &c. dicendo.

12. Ego sum Jehova,
 qui eduxi te è terrâ Ae-
 gypti, è domo servo-
 rum.

13. Ne fit tibi ullus
 Deorum alienorum an-
 te faciem meam.

14. Ne facias tibi scul-
 ptile, ullam imaginem
 eorum, quæ sunt in
 cœlis suprâ, aut quæ
 sunt in terris infra, aut
 quæ sunt in aquis infra
 terram.

15. Ne incurvans te
 honorem exhibeto eis,

neq;

neq; colito ea : nam ego Jehova DEUS tuus Deus fortis Zelotes, vindicans iniquitatem patrum in filios, in nepotes, & in abnepotes, in eos, qui odio prosequuntur me:

6. Exercens verò benignitatem in millesimos à patribus, qui diligunt me, & qui observant mandata mea.

7. Ne assumas nomen Jehovæ DEI tui in vanum. Nam non relinquet impunem Jehova eum, qui assumerit nomen suum in vanum.

8. Recordare diei sabbathi, ut sanctifices illum.

9. Sex diebus operaberis, & facies omne opus tuum.

10. Dies verò septimus Sabbathum est Jehovæ DEO tuo: ne fa-

neq; colas ea : nam ego Jehova Deus tuus sum Deus fortis Zelotes, visitans iniquitatem patrum in filios, in nepotes & in abnepotes, qui odio prosequuntur me.

16. Exercens verò benignitatem in millesimos à Patribus, eos, qui diligunt me, id est, qui observant mandata mea.

17. Ne assumas nomen Jehovæ DEI tui in vanum. Nam non relinquet impunem Jehova eum, qui assumerit nomen ipsius in vanum.

18. Observa diem Sabbathi, ut sanctifices illum, quemadmodum tibi præcepit Jehova DEUS tuus.

19. Sex diebus operaberis, & facies omne opus tuum.

20. Dies verò septimus Sabbathum est Jehovæ DEO tuo: ne facias

cito ullum opus, tu, aut
filius tuus, aut filia tua,
servus tuus, aut ancilla
tua, aut jumentum
tuum, aut peregrinus
tuus, qui est intra por-
tas tuas.

11. Nam sex diebus per-
fecit Iehova coelum ip-
sum & terram, mare,
& quicquid est in eis:
Quievit verò die illo
septimo: Idcirco bene-
dixit Iehova diei Sabba-
thi, & sanctificavit il-
lum.

12. Honora Patrem
tuum, & matrem tuam
ut prolongent dies tu-
os super terram illam,
quam Iehova DEUS
tuus dabit tibi.

13. Ne occidito.

14. Ne scortator.

15. Ne furator.

16. Ne proferto con-

trarias ullum opus, tu, aut
filius tuus, aut filia tua,
aut servus tuus, aut an-
cilla tua, aut bos tuus,
aut peregrinus tuus,
qui est intra portas
tuas, ut quiescat ser-
vus tuus, & ancilla
tua, sicut tu.

21. Et memineris, te
servum fuisse in terra
Ægypti: Iehovam ve-
rò Deum tuum eduxif-
se te inde manu forti,
& brachio extento. Id-
circo præcepit tibi Ie-
hova DEUS tuus, ut
observes diem ipsum
Sabbathi.

22. Honora Patrem
tuum & matrem tuam,
quemadmodum tibi
præcepit Iehova DE-
US tuus, ut prolon-
gentur dies tui, & be-
ne sit tibi super illam
terram, quam Iehova
Deus tuus dat tibi.

23. Ne occidas.

23. Neq; scorteris.

25. Neq; fureris.

26. Neq; proferas cō-

tra

tra proximum tuum
testimonium falsum.

17. Ne concupiscito
domum proximi tui,
ne concupiscito uxorem
proximi tui, aut
servum ejus, aut an-
cillam ejus, aut bovem
ejus, aut asinum ejus,
denique quicquid est
proximi tui.

XIIX.

Porro, verba illa primæ Decalogi tabulæ:
Non facito tibi sculptile, &c: peculiare præcep-
tum esse, nempe ordine secundum, inde est ma-
nifestum, quòd aliàs nec numerus quatuor præ-
ceptorum primæ tabulæ, nec numerus decem
præceptorum totius Decalogi, compleretur, &
aut præceptum de colendo uno vero DEO, cum
præcepto, de ratione colendi unum verum DE-
UM (nempe, non per idola) commiscendum,
aut præceptum unicum de concupiscentia in
duo divellendum esset, Id quod temerarium &
ineptum,

XIX.

Licet enim ambo illa præcepta, (primum
& secundum) Deos alienos prohibeant: in hoc
tamen differunt: quòd in primo simpliciter pro-
hibetur Cultus, qui præstatur aliis, qui juxta ve-
rum DEUM, & præter illum, vel simul cum il-
lo, coluntur: In secundo autem peculiariter pro-
hibetur idololatria, ex DEO iplo faciens ido-
lum,

B

lum,

lum, eiq; visibilem effigiem & formam, contra ejus expressum verbum, affingens.

XX.

Temerè igitur faciunt, qui verba illa secundi præcepti vel cum primo jungunt, vel planè omittunt: Cùm necesse sit, distincta esse præcepta, quæ sententiis distinctis, & sensu diversis, constant.

XXI.

Pariter ineptè faciunt, qui præceptum de pravâ concupiscentiâ, quod est in secundâ tabulâ unum, & quidem ultimum, in duo, videlicet in nonum & decimum dispescunt: Cùm verba illa omnia, quæ de pravâ concupiscentia loquuntur, unâ & eadem constant sententiâ sive sensu, & Apostolus Paulus illa omnia conjunxit, inquit: Concupiscentiam non novissem, nisi Lex dixisset: Non concupisces: Rom: 7. v. 7.

XXII.

Nec verò, propter diversarum rerum concupiscentiam, diversa ex uno facienda sunt præcepta: aliàs enim fierent innumera.

XXIII.

Quid? quòd Moses ipse verba ultimi præcepti de concupiscentia, quæ à quibusdam in duo divelluntur, transponit, & non eodem ordine illa recenset in Deuteronomio, quo in Exodo?

XXIV.

Nam in Exodo præponit concupiscentiam domus, & postponit concupiscentiam uxoris alienæ: In Deuteronomio verò ordinem invertit.

Sæ

XXV.

Si ergo verba illa de concupiscentia in duo præcepta essent dispescenda, sciri certò non posset, utrum nonum, utrum verò decimum in ordine esset habendum.

XXVI.

Imò, hac ipsâ ratione Moses, vel potius DEUS ipse, Legis autor, non satis præceptorum cohærentiam observasse videri poterat. Id quod absurdum & blasphemum.

XXVII.

Hac igitur ipsâ verborum ultimi præcepti transpositione satis superq; per Mosén Spiritus Sanctus declaravit, pro unico duntaxat haberi Deum velle præcepto verba illa omnia, quæ de pravâ concupiscentiâ loquuntur.

XXVIII.

Etsi autem nullius Creaturæ sapientia penitus intelligere Decalogum potest: tamen immutabile mandatum DEI est, ut cum discamus, & consideremus, & intelligamus, secundum enarrationes ipsius Christi, Prophetarum & Apostolorum.

XXIX.

Ac inde ab Adamo usq; repetivit DEUS & conservavit in Ecclesia vocem hujus Legis, & vult eam semper doceri, & illustribus exemplis pœnarum, in atrocibus delictis, per omnia tempora ostendit, hanc Legem esse ordinem divinæ sapientiæ & Justitiæ. Nec cessabit in æternum hic ordo, ut creatura rationalis sit subjecta DEO, & sit ei conformis.

XXX.

Execramur igitur jure merito Antinomos, Libertinos, & alios, qui Legem Moralem repudiant.

XXXI.

Et hætenus quidem de Lege Morali: Sequitur de Ceremonialibus & Forensibus.

XXXII.

Ceremonias dictas quidam volunt quasi *ισερονόμιας*, sive, per *μετάθεσιν*, *ισερονόμιας*. Alii derivant eas à carendo, quasi sint ejusmodi res, quibus Ecclesia omninò carere non possit. Alii deniq; à caritate deductas putant, quòd sint maxime hominibus caræ. Quid? quòd etiam sunt, qui Cæremonias scribi volunt per *Æ* in primâ syllaba, easq; opinantur id nominis fortitas ab oppido Cære, in quod Romani olim, tempore Gallici tumultus, sacra sua transportârint, atq; sic nomen istud in Ecclesiam DE Irrepfisse?

XXXIII.

Sunt autem Leges Ceremoniales, quæ externos gestus ordinant in sacrificiis, & loca, tempora, & personas distinguunt, & alia quædam exercitia externa describunt, ut gubernent typos, & sint signa & distinctiones politiæ Mosaicæ ab aliis gentibus.

XXXIV.

Forenses verò Leges sunt, quæ agunt de externâ defensione disciplinæ, juxta totum Decalogum, de Magistratibus, de pœnis blasphemiæ & perjurii, seditionis, homicidii, adulterii, de distinctione facultatum & dominiorum, de hære-

dita:

ditatum distributione , de pœnis furtorum, de ordine judiciorum.

XXXV.

Hâsce Leges, (Ceremoniales & Forenses) ut temporarias, scimus, in novo Testamento, cum Hierarchiâ & Politiâ Mosaicâ, abolitas esse, ita ut à Christianis omitti possint: si quæ verò ex illis omitti non posse videntur, pertinent ad Legem Naturæ, sive ad Decalogum seu Legem Moralem & æternam, & nunquam planè abolendam aut abrogandam.

XXXVI.

Etsi enim ex operibus Legis non justificabitur omnis caro, adeò ut (si justificationem gratuitam spectes) etiam Lex Moralis possit censi abolita: manet tamen ista, æternûmq; manebit, & dicitur atq; est æterna, immutabilis atq; immota, propter multas alias causas, fines, & usus.

XXXVII.

Primus est, ut regat externam disciplinam, & sanciat pœnas contra delinquentes.

Secundus, ut intus in corde etiam accuset peccata & totam depravationem tam renatorum, quàm non renatorum, & demonstret, omnes esse filios iræ, nec posse Legi DEI satisfacere.

Tertius, ut renatos doceat, qui cultus placeant DEO, hoc est, in viis Domini eos instruat, ut incipiant conformes fieri capiti suo Christo, qui est impletio Legis, Rom: 10. v. 4. & qui, ut ipsemet testatur, non venit solvere Legem, sed implere. Matth. 5. v. 17.

XXXVIII.

Id verò Christus præstat quatuor modis:

XXXIX.

Primum, propriâ suâ obedientiâ, & IN SE.

XL.

Requirebatur enim in Meditatore, ut non solum, quâ DEUS, justus esset essentiali justitiâ æternâ, sed ut etiam, quâ Homo, originaliter sine peccato esset conceptus atq; natus, & moraliter sive actualiter & habitualiter in eo nullus inveniretur dolus. Es: 53. v. 9. 1. Pet. 2. v. 22. 1. Ioh. 3. v. 5. Ioh. 8. v. 46.

XLI.

Secundò implevit Christus Legem, derivando in se pœnam, PRO NOBIS, ut agnus DEI, tollens peccata mundi, Ioh. 1. v. 29, Factus enim est pro nobis peccatum, ut nos fieremus justitia, quæ coram DEO consistit: Et factus est pro nobis *κατάρα* sive execratio seu maledictum, ut nos à maledictione Legis liberaret. 2. Cor: 5. v. 21. Gal: 3. v. 13.

XLII.

Atq; hoc unico Sacrificio summus hic Sacerdos, *εις τὸ διηνεκές*, hoc est, in sempiternum, consummavit sanctos. Heb. 10. v. 14. Hæc impletio legis, facta in sanguine ipsius, non alia, imputatur nobis per fidem in justitiam, &, ob hoc *λύτρον*, Christus Mediator est objectum fidei, qua justii coram Deo reputamur, proprium.

XLIII.

Totius enim fiduciæ nostræ certitudo debet esse in pretioso sanguine Christi. Act: 20. v. 28. Hebr.

28. Hebr. 9. v. 22. 1. Ioh. 1. v. 7. 1. Pet: 1. v. 19. Au-
gust. lib. Meditationum.

XLIIII.

Tertiò implet Christus Legem, restituendo
in nobis amissa bona, justitiam originalem, in-
nocentiam, sanctitatem & vitam æternam, vt
summus rex & caput Ecclesiæ, Spiritu suo Sancto
per regenerationem, (quæ, hîc incoata, in no-
vissimâ demum *παλιγγενεσία* resurrectionis san-
ctorum, perficietur) vivificans nos, hoc est, in-
staurans in mente, voluntate & corde, & omni-
bus facultatibus animæ, corporisq; nostri, ve-
ram Legis intelligentiam, assensum & obsequi-
um, ut fiamus illi, tanquam archetypo, *σύμμορφοι
καὶ ὅμοιοι*, hoc est, transformemur in eandem i-
maginem, à claritate in claritatem, tanquam à
Domini Spiritu, 2. Cor. 3. v. 18. Phil: 3. v. 21. 1.
Ioh. 3. v: 2.

XLV.

Quartò & ultimò implet Christus Legem
Sanciendo, hoc est, ut Propheta ille magnus, repe-
tens, stabiliens, explicans, asserens, confir-
mans, illustrans, & à fermento Pharisæico ve-
ram Decalogi sententiam repurgans, sicut
ipse inquit: Non veni solvere Legem,
sed implere. Matth: 5. v. 17.

F I N I S.

Δόξα Θεῷ.


Jh 4245




X 22 MA 38

VD 17 AC







MI

teologici Me-

est DE LE-

rati,

ACI-

N ILLU

GYMNASIO

E

OPOLDO,

vocant, Pa-

Professore:

TE

O COSVVI-

I. matutina.

rörfferi.

CI.

20

